

Aggeribus ratibusq; , arcto ceu compede , clausus
 Duna , favens olim , nunc me deducet in Urbem ?
 Ah ! quoties monui ! justo quam tempore dixi !
 Immanis non tam Turcæ metuenda Tyrannis ,
 Non Moschi rabies , Sueonum quam sedula virtus .
GVSTAVUS jam-jam **RIGÆ RIGÆ** imminet **Hostis !**
 Tunc decuit misisse viros . Nunc sera relictis
 Subsidia adferimus . Non si nunc adforet Hector ,
 Hectoris haud victor veniat redivivus Achilles ,
 Hanc hostis rapiat validis ex unguibus Urbem .
 Attamen an cedam ? Nunc discet cedere virtus ,
 Multiplicem toties quæ sedibus expulit hostem ?
 An fuga victricem maculabit perfida dextram ?
 Quid ? rursus vanâ perdam ambitione cohortes ?
 Meq; meosq; ultrò spoliabo lumine vitæ ?
 Proderit an **R E G I** mors hæc furibunda Polono ?
 Inter utrumq; feror dubius , seu cedere malim ,
 Seu conferre manum , certa q; occumbere morti .
 Hannibal Italiâ concessit Marte coactus ,
 Et fuga Cunctantis Romanis restituit rem .
 Nunc fugiunt Graji , sequitur Trojana juvenus ;
 Nunc Phryges , atq; instat curru cristatus Achilles .
 Cedere victrici Fortunæ sæpè jubemur ;
 Nec fuga perfidiæ nota , mens si pectore recta est .
 Vesana est lethi nimis immoderata cupido ,
 Vivere cum liceat , nec cernas commoda mortis .
 Prudentis magis est meliores vivere in usus ,
 Durare & sese rebus servare secundis .

GVSTA-